

573 tior factus, ne minimum quidem commotus, quidquid decretum fuisset, id a summa prudentia profectum arbitrari significaret; gravissimisque rationibus impulsus eo devenisse Senatum censere; sibi polliceri, pro iis, quæ pro Republica gesserat, si se obtulisset occasio, a Venetis sibi gratiam repensum iri. Verumtamen Pontifex nullis neque officiis, neque precibus flecti poterat; nihil promeritum, ut, se inconsulto atque inscio, pax cum christianæ reipublicæ acerrimo hoste sanciretur; atque ut justæ & graves causæ essent, quibus non immerito Hispanorum artes, cunctationes, dilata auxilia conqueri Respublica posset; quid in se culpæ esse, qui summo ardore in foedere retinendo, ac conservando elaborasset? qui nullum officii genus, ut Principes christianos ad societatem ineundam inflammaret, prætermisisset? Sed Theupolus, cui adhuc ad Pontificem accessus, de more, non patebat, cum Novocomesi Cardinali, in quo uno totius fere pontificatus pondus residebat, id sedulo agebat, ut quam gravibus ac necessariis causis ad pacem amplectendam Senatus impulsus fuisset, comprobaret: *Nunquam majori studio Venetos post hominum memoriam ad bellum cum potentissima gente devenisse; nunquam majores apparatus edidisse; acrius nunquam pro libertate, pro gloria, totiusque christianæ reipublicæ dignitate decertasse: sæpius pacis oblatae conditiones rejecisse; irreconciliabiles inimicitias mente gessisse, & triremium numerum, & militum copiam supra foederis conditiones præstitisse: primo veris tempore in promptu semper cuncta extitisse: quid contra reliqui fecerint, ita (ut ne verbis quidem opus esset) constare, nihil ex præscripto foederis actum: auxilia in autumnum prolata; enerves Reipublicæ vires inutili ad Faderam & Corcyram mora redditas; Dei potius ac Superum benignitate, quam constanti animo in hostem pugnatum: victoriam certe relatam: at quo fructu? dum tempus, quo fortuna virtuti pandere sinum videbatur, adefset, in hyberna Hispanos concessisse: ineunte insequentis anni vere, nihil expeditum: vel Gallici, vel Belgici belli suspicionibus, classem regiam Messanæ detentam: duas ac viginti tantummodo sub Gildandrada triremes submissas: a bello in oriente adversus Turcas gerendo duces Corcyram abstractos: mox cum omni virium robore denuo in hostem itum esset; trepidum, animique superioris pavore percusum Uluzzalium obteri atque deleri potuisse: jam prope hærentem victoriam turpiter amiss-*

Pauli
Theupoli
oratoris cū
Novocomesi
Cardinali
efficiunt.